

Hinweise gemacht

11426

Ufol Nr. 1 zum Inhaltsverzeichnis = 00  
Ufol Nr. 3 = 01  
" Nr. 4 = 00  
" Nr. 9 = 00

Als 00 zu bewahren

5


PSALMI CENTESIMI DECIMI  
VERSIONEM  
QVAMDAM GERMANICAM  
RECENTIOREM  
SVB EXAMEN VOCANS  
AD  
PRAELECTIONES SVAS SEDVLO AVDIENDAS  
CIVES ACADEMICOS  
HUMANISSIME INVITAT  
ABR. PHIL. GODOFR. SCHICKEDANZ  
THEOL. DOCTOR, EIVSDEM QVE ET LINGVARVM SACRARVM  
NEC NON HISTORIARVM PROF. P. O. GYMNASII ACADE-  
MICI ANHALTINI RECTOR PERPETVVS.



SERVESTAE,  
LITTERIS I. A. C. BÜHMII, ILL. GYMN. ACAD. ANH. CHALCOGRAPHI.

Gleickelanus, Abramian Philipp  
Johannes Diceni

GERMANIC



§. I.

**Q**ui serie Psalmorum numeratur centesimus decimus, ex communi tantum non omnium Theologorum sententia, inter illustriora de Christo referendus est vaticinia. Quem enim vates diuinus cecinit regem, Dauidis stirpe oriundum, quem ille praeuidit ad altissimum & potestatis & honoris fastigium euectum, maiestatis Dei participem & quasi socium fore, quem simul vaticinatus est sacerdotem futurum ceteris maiores: eundem & regem & sacerdotem in optimo Seruatorе nostro sistunt tabulae N.T. *Matth. XXII, 43 - 44. Act. II, 34 - 35. 1 Cor. XV, 25.* *Hebr. I, 13. V, 6. 10.* Illustrе hocce Dauidis vaticinium tunc temporis, ubi Seruator inter mortales versatus est, de Messia explicuerunt Iudei. Hinc illa quaestio, quam Hebraeorum doctoribus soluendam Iesus proposuit: εἰ τὸν δαῦιδ καλεῖ αὐτὸν (scil. τὸν χριστὸν) κυρίον, πῶς οὐκ αὐτὸν ἐστι; *Matth. 1. c.* Hinc simul ea tempestate Iudei suam de potentissima inter ipsos nasciturо

turo terrarum Domino spem hausisse videntur. Fuerunt inter ipsos Rabbinicos doctores, qui post Christianismum natum exstiterunt, qui Psalmum hunc de Messia interpretandum contendenter <sup>a)</sup>). Fuerunt, qui id negarent. Alii hoc carmine Abrahamum celebrari centuerunt, alii id ad Salomonem referendum voluerunt, nonnulli ad Hiskiam, immo ad Sorobabellem, plures denique ad Dauidem traxerunt <sup>b)</sup>. De Dauide & pugna apud Rabbam pugnata psalmum huncce explicandum esse, recentiorum Iudeorum fert sententia. Eamdem sententiam nuper suam fecit vir quidam inter Iudeos magni nominis, qui quum libris philosophicis, tum versione germanica carminum Davidis aliorumque poetarum hebraeorum elegantissima nuper edita, aeternam consequutus est gloriam. Quae opinio, quum multorum fert puncta, quum & ipsis Theologis Christianis recentioribus <sup>c)</sup> arridet, digna nobis videtur, quae examini paullo accuratori subiiciatur.

### §. II.

Atque Psalmum, quem iam nobis illustrandum sumsimus, in hunc modum vertit Iudeorum doctor celeberrimus:

An

<sup>a)</sup> Ita R. Ioden & R. Tizhat. Verba dedit MVNSTERVS in crit. Angl. ad hunc psalmum.

<sup>b)</sup> De quibus omnibus vid. Ill. MICHAELIS in libro, qui titulum gerit: *kritisches collegium über die drey wichtigsten Psalmen von Christo.*

<sup>c)</sup> Placuit enim haec sententia Celeb. GVIL. ABR. TELLERO in praef. ad *opuscula varii argumenti* p. XVIII.

An Dauid; ein Psalm.

1. Der Ewige spricht zu meinem Herrn:  
Verweile hier zu meiner Rechten!  
Ich werde deine Feinde dir,  
Zum Schemel deiner Füsse legen.
2. Der Ewige streckt von Zion aus  
Das Zepter deiner Majestät:  
Regiere mitten unter Feinden.
3. Dein iugendliches Volk ergeußt  
Freiwillig sich, in heilgem Schmucke,  
Am Tage deiner Helden Schlacht,  
Wie Thau vom Schoß der Morgenröthe.
4. Der Ewige schiur, ihn reuet nichts:  
Du bist der Gottheit Diener ewig!  
Der Sänger täuscht nicht, König Zedeks.
5. Zu deiner Rechten hat der Herr  
Im Zorn schon Könige zerschlagen.
6. Er wird Nationen richten  
Auf hochgehürmten Leichen,  
Der itzt das Haupt von Rabba schlug.
7. Schon trinkt es aus dem Bach am Wege;  
Weil es zu stolz sein Haupt erhob.

Age igitur, in rationes huius versionis inquiramus, quibus destruētis, multo potior ea sententia videbitur, quae fert, in hoc psalmo Messiam eumdemque & regem & sacerdotem, celebrari.

6

---

---

### §. III.

Carmen hoc non a Dauide, sed ab alio quodam  
Dauidis in honorem scriptum esse, ponit vir doctissimus.  
Titulus psalmi sic se habet: לְדוֹד מִזְמֹר. Quem titu-  
lum plures psalmi prae se ferunt, eoque semper auctor  
indicari solet. Non enim aliud sensum habet ille ti-  
tulus, atque hic: לְדוֹד מִזְמֹר ordine dumtaxat vocum  
immutato. Videantur psalmi XXIII. XXXII. XXXX.  
LXVIII. CI. CVIII. CXXXVIII. Auctorem psalmi  
nostrri esse Dauidem, quondam inter Iudeos extra  
omnem fuit dubitationis aleam positum. Id ni fuisset,  
Dauidem huius psalmi scriptorem tam confidenter no-  
minare non potuisset optimus Seruator, vid. Matth.  
XXII, 43. 45. At caue, inquis, titulis, qui psalmis  
praeponuntur, iusto plus auctoritatis tribuas, quia,  
quem illi auctorem habeant, non satis certum constat.  
Demus illud; antiquitate tamen superant antiquissimas  
psalmorum versiones, hinc profecto non omni fide in-  
digni existimandi sunt. Ne vero ex sola ἱεραφη quid  
nimis efficere videamur, inspiciamus ipsum carminis  
argumentum, idque de Dauide & proelio apud Rabbam  
intelligi non posse, demonstremus.

### §. III.

Historia, quam auctor carminis nostri ob oculos  
habuisse viuis est doctissimo Iudeorum interpreti, ea  
est, quae 2 Sam. XI & 1 Chron. XX enarratur. Dauid  
scil. iniuriam legatis suis ab Ammonitis illatam enfe-  
vindicaturus, misit cum selectissima fortissimaque manu  
Ioa-

Ioabum, summum exercitui praefectum, qui bellum iis inferret, eorumque urbem deleret. Ipse vero domi mansit, otio luxuriaequa deditus. Proelio victis Ammonitis, Rabbam (id caput fuit regni) Ioabus obsidione cinxit. Quumque summa dies, & ineluctabile fatum Rabbae venisset, omnibus praeparatis, Regis adventum exspectauit, captae urbis titulo (sicuti par erat) cedens. Itaque urbe expugnata victum regem regno spoliat Dauid, diadema sibi ipse imponit, & de ciuibus horrendo supplicio sumto, victor Hierosolyma reuertit. En res gestae Dauidis, quas hoc carmine a vate diuino tractari, arbitratur vir doctissimus.

### §. V.

Est profecto hoc argumentum carmine sacro indignissimum. Otium, quo iam fruebatur Dauid, caussa erat, quare ad maxime detestabile & incestum facinus abripi se pateretur; neque igitur ad eius laudes victoria apud Rabbam de hostibus reportata multum cumuli accepit. Num illa quies digna fuit, quae vel ab ipso Dauide, vel ab alio, carmine diceretur? Deinde multa hic de Dauide enuntiantur, quae ei tribui non possunt. Neque enim sessio ad dextram Dei, neque aeternum sacerdotium illi competit. Age iam, de ipsa versione, quam dedit vir doctissimus, quaenam eius vis sit, videamus.

### §. VI.

In primo versu psalmi nostri explicanda sunt potissimum verba paullo difficiliora: שׁב לִיטְנֵי Ea ita trans-

transtulit vir doctissimus: *verweile hier zu meiner Rechten.*  
 Scilicet haec verba de otio intellectu videtur, quo  
 fruebatur Israelitarum rex, quem domi manens, expe-  
 ditioni aduersus Ammonitas non ipse interesset. In eum-  
 dem modum ea iam interpretatus est *Abenesra d).* Enim  
 vero in verbis istis recte interpretandis, non singula-  
 rum vocum, sed vniuersae phrasis, qua dicitur quis *ad*  
*dextram Dei sedere*, ratio est habenda. Dictio haec non  
 alio nisi hoc loco V. T. occurrit. Numquam dicitur  
 Dauid ad dextram Dei sedisse. Pio quidem homini  
 dextrum ad latus Deum adesse, & tamquam manum por-  
 rigere, confirmat Dauid; *Pf. XVI, 11. CVIII, 31. CXXI, 5.*  
 numquam vero pium hominem dicit Deo ad dextram ad-  
 esse. At, inquis, poetica phrasis est, qua nihil aliud  
 significatur, nisi quod Dauid domi manere iubetur, hoc  
 est, in palatio suo templo adiacente. Ita haec verba  
 explicant duumiri doctissimi, & quanti viri, *TELLE-*  
*RVS e)* & *HERDERVS f).* Est, fateor, sententia haec  
 maxime ingeniosa, in quam pedibus iremus, nisi scripto-  
 res N. T. ad aliam accedere nos iuberent. Quibus  
*sedere ad dextram Dei* nihil aliud est, ac regnare, & ad  
 maximum potestatis & dignitatis gradum euehi. Vid.  
*Matth. XXVI, 64. Eph. I, 20. seqq.* & plures alii loci. Eo-  
 dem sensu hanc dictionem intelligi voluerunt graeci V.  
 T. interpretes qui *sedere in solio Dei* verterunt per *sedere*  
*sive regnare ad dextram Dei.* *Conf. Zach. VI, 13.* Ex quo  
 loco

d) Vid. III. MICHAELIS in lib. cit. p. 633. e) l. c.

f) in libro, quem inscripsit: *Geist der ebraeischen Poesie.* P. II. p. 404.

1oco luculenter apparet, quo sensu illa phrasis accipienda sit. Scilicet, *sedere ad dextram Dei*, aut, si mauis, iuxta Deum, nihil aliud est, ac sedere in folio Dei, vel regnare tamquam Deum. Conf. *1 Cor. XV, 25.*

### §. VII.

Misso versu secundo, nihil enim difficultatis habet, progredior ad tertium, eumque difficillimum. Quem sic vertit vir doctissimus:

*Dein jugendliches Volk ergeußt  
Freywillig sich, in heiligem Schmucke,  
Am Tage deiner Helden/schlacht,  
Wie Thau vom Schoß der Morgenröthe.*

Non literis, nec punctis mutatis, praeclarum sensum inde elicuit translator doctissimus, parallelismo verborum sententiarumque optime seruato. Obstant tamen rationes criticae, quo minus interpretationi huic calculum adiiciam. Nam primo lectioni קָרְשׁ praeferenda ea videtur, quam habuit SYMMACHVS, scil. בַּהֲרִירִי קָרְשׁ Lectionio haec triginta nouem codicibus apud KENNICOTTVM, forte etiam pluribus, probata est. In editione SEB. MVNSTERI, quae prodiit Basileae 1546, legitur ea tamquam Keri g). Saepius veniunt in sacris paginis הַרְרִי קָרְשׁ nusquam vero Eccui non in mentem venit הַרְרִי קָרְשׁ cuius mentio fit in psalmo secundo v. 6? Denique pro לִרְתָּךְ legendum censeo יְלֹתָךְ quam quippe lectionem iam sequunt sunt

LXX

g) Vid. Celeb. MICHAELIS *bibl. orient.* P. XVIII. p. 83.

B

LXX graeci interpretes, Arabs, Vulgatus, Syrus, Origenes, Hieronymus, & plures graeci, quos dicunt, patres ecclesiae. Eamdem lectionem in RENNICOTTI bibliis septuaginta codicibus probatam reperio. Quod si psalmum secundum cum nostro conferre velis, vbi versu 7 eadem vox occurrit, vix ullum dubium est, quin ea in nostro loco reponenda sit. Hinc versum hunc ita vertendum puto: *populus tuus pluviae instar se effundit die proelii tui ad montes sanctos, est tibi ut ros matutinus, ego genui te;* i. e. principem te & regem constitui. Iudicium de hac versione tibi relinquo, B. L. Nihil in ea a me omissum vides, ipsaque voces paullo difficiliores <sup>ה ר</sup> sic facilem, credo, fundunt sensum.

### §. VIII.

Versum quartum quomodo intellexerit translator doctissimus, difficile est dictu. Videtur tamen sequutus esse Abenesram, qui כהן vertit *ministrum Dei*, putans, Dauidem titulo hoc insigniri, quoniam non exiuerit belli gerendi gratia, sed domi manserit, Dei colendi caufsa, decumasque a populo suo acceperit, vti quondam Melchisedecus ab Abrahamо <sup>h).</sup> In eundem enim modum Celeb. MENDELIDES transfert vocem כהן ipsumque Dauidem propterea appellari regem Zedek, siue Melchisedecum innuit. Verum enim vero voce כהן in sacris paginis semper *sacerdos* notatur, unico duntaxat loco excepto, scil. 2 Sam. VIII, 18, vbi vox illa significat virum officio quodam politico digniore fungentem.

Quod

<sup>a)</sup> Vid. III. MICHAELIS in lib. saepius cit. p. 633 sq.

Quod si minister Dei hic intelligendus esset, dixisset auctor  
 carminis nostri non כהן sed Denique voci in כהן priore hemistichio versus quarti respondet in altero hemistichio nomen מלכִי־צָרָק Quum vero Melchisedecus sacerdos Dei altissimi nominatur Gen. XIII, 18; etiam in loco nostro per vocem כהן non alias ac sacerdos intelligendus videtur. Restat illustranda dictio: על־דברתִי. Quam translator celeberrimus ita vertit: *Der Sänger teuschet nicht.* Scilicet דברה idem illi est, quod דבר Hinc est: *ex sententia mea.* Placet quidem haec translatio, malim tamen utramque vocem tamquam verba Dei loquentis considerari, ut על־דברתִי respondeat נשבע ויחות ולא ינחם Hinc totum versum ita transferendum censeo: *Iurat Iehoua, non mutaturus consilium: tu es sacerdos in aeternum; haec mea est sententia: tu es alter Melchisedecus.*

### §. VIII.

In versu quinto dubium est, quis sit Adonai, num Iehoua, an is, qui ad dextram Dei sedere iubatur? Utrum intellexerit translator Iudeorum doctissimus, non patet ex versione, in quam inquirendum iam nobis sumsimus. Sed nisi me omnia fallunt, non aliis hic intelligendus videtur, ac idem ille Dominus, de quo in versu primo sermo est. Ita enim cum praecedentibus optime consentiunt haecce verba. Ceterum pro זיהוה אֲנָה in uno codice Kennicottiano legitur & in nouemdecim aliis יְהוָה quam lectionem interpres antiqui procul dubio habuisse censendi sunt. Hinc

B 2

eam

eam praeferendam recte iudicat III. MICHAELIS, l. c.  
Num vero inde argumentum certo peti possit ad de-  
monstrandam Iesu diuinitatem, id est, de quo dubito.  
Quum enim propheta Deum hic alloquitur, potest etiam  
sic hoc colon verti: *Domine, qui sedes ad dextram tuam, is  
communies &c.*

## §. X.

Versum sextum, sequutus Rabbinicos doctores,  
exposuit Celeb. MENDELIDES de caede Ammonita-  
rum regis, cuius metropolis fuit רְבָה, id est, *Rabba*.  
Id, quum praemiserit auctor carminis nostri in genere  
reges, fateor quidem, non est absimile veri. Sed ob-  
stant huic interpretationi rationes grammaticae, indi-  
catae ab III. MICHAELIS in libro saepius laudato. Pla-  
cket igitur terram רְבָה pro ampla & potente accipere.  
Denique translator doctissimus paullo durius conuer-  
tisse mihi videtur versum ultimum, quem non de rege,  
eius in honorem hoc dictum est carmen, sed de hoste  
fuso fugatoque interpretatus est. Quis vero non vi-  
det, de eodem rege haec verba accipienda esse, de quo  
in toto psalmo sermo est? Taceo, de capite dici vix  
posse, illud caput suum extollere. Libet igitur mihi  
hunc versum de caesorum sanguinis copia & multitu-  
dine tanta interpretari, ut tamquam torrens profluat,  
e quo rex hic bibiturus sit. Neque hoc de Christo  
diceretur durius, tales enim imagines amant Hebraei,  
ipsumque adeo Deum bellatori ebrio comparant, *Ps.*  
*LXXVIII, 65* <sup>i).</sup>

## §. XI.

<sup>i)</sup> Vid. III. MICHAELIS ad LOWTH de sacra poesi Hebreo-  
rum prælectiones noti 25.

## §. XI.

Examinata psalmi centesimi decimi versione, quam edidit celeb. Iudeorum docto<sup>r</sup>, liceat & nobis in vertendo hocce psalmo periculum facere. Et vt, quae sit sententia nostra, melius intelligatur, lubet nobis paraphrasin legentium oculis subiicere eam; quae & verba & explicationem simul in locis potissimum paullo obscurioribus repraesentet. En igitur paraphrasin nostram:

„Daudis psalmus.

Iehoua ait Domino meo: asside ad dextram meam, donec pedibus tuis pro scabello subiecero hostes tuos, quos conculces. Sceptrum potentissimum tuum e sede Sionica sua emittet Iehoua, vt regnum tuum inde procedens longe lateque diducat, extendat, & propaget; dominare, inquit, exerce imperium tuum inter medios hostes tuos. Die proelii tui populus tuus sponte tibi aderit, pluuiæ instar se effundens ad montes sanctos, aderit tibi tanta copia, quanta roris est, quem aurora parit ortu mirifico & innumerabili, nam ego te ipse constitui regem. Non autem regem tantum populi tui te esse vult, sed insuper etiam facerdotem, idque iureiurando confirmauit Iehoua. Tu, inquit enim, facerdos es in aeternum, neque vlo vñquam tempore hanc mutaturus sum sententiam meam: tu es alter Melchisedecus. O Iehoua Deus, quem tu sedere iubes ad latus tuum, is, quando indignatio eius exarserit, caedet reges, comminuens quamlibet eximiam potestatem, contrariam sibi. Supplicium sumet de gentibus, edet stragam tantam, vt omnia compleantur cadaueribus

bus caesorum, principes maximos & multarum terrarum, regnum ipsius oppugnaturos, prosternet contretque. Caesorum sanguinis copia & multitudo tanta erit, vt tamquam torrens profluat, e quo pocula hauriat rex victor, proinde alacriter potestate suam exercebit, factus superior, & euectus ad gloriam summae eminentiae regni aeterni. "

\* \* \* \*

Iam vero id, cuius praecipue causa haec praefatus sum, adgredior. Postquam

## SERENISSIMORVM OPTIMORVM QVE PRINCIPVM ANHALTINO- RVM REGENTIVM,

quorum ego clementiam submissa pietate & obedientia veneror, iussu & auctoritate haec mihi prouincia est demandata, vt in hoc Gymnasio Academico Professione Sanctae Theologiae & Linguarum Sacrarum fungar; omne merito studium, omnem operam atque cogitationem eo conuertendam esse intelligo, vt

## SERENISSIMIS Gymnasi IUVTRITORIBVS

fidem ac industriam meam humillime approbem, spar tamque mihi concreditam pro virili exornem. Etsi vero in tam late patente Theologiae campo, quem mihi apertum video, distrahatur quodammodo in delibera-

berando animus, quodnam lectionum mearum argumentum potissimum eligendum sit; opportunum tamen quam maxime & incrementis rectorum studiorum conducere existimau, si prius, quam ad ipsam Theologiam tradendam me confero, a sacri codicis, qui vniuersus isque limpidissimus rerum ad hanc disciplinam pertinentium fons est, interpretatione initium ducerem, iisque opera mea primum inferuirem, qui linguis sacris & Philologiae studio vacare statuerunt. Cuius instituti mei rationem & fructum, quid multis commendem? Quid demonstrem, graecae praesertim & hebraeae linguae notitia non leuiter tantum, sed sufficienter imbutum esse oportere, quisquis diuina oracula accuratiore studio & legere & interpretari gestiat? Nam, si quisquam alius, vere ERASMVS non solum modo, sed & impium esse pronuntiat, sine Graecae & Hebraicae linguae notitia Theologiae mysteria tractanda suscipere. Has qui ignorat, non Theologus est, sed sacrae Theologiae violator; ac vere manibus pariter ac pedibus illatis, rem omnium maxime sacram non tractat, sed profanat, conspurcat, violat k). Haec iis dicta sunt, qui non frigide tantum studia theologica, sed & praeponere tractant, omniaque praecipitant; qui, quum vix Orbilii manus effugerint, vix ferulis se subduixerint, mera θεολογία crepant, sermocinantur, disputant. Sed nolo ista persequi; attingere tamen libuit, dum iussus a

## SERENISSIMIS PRINCIPIBVS ANHALTINIS,

Gymna-


k) Chil. I. Cent. VIII. *Adag.* LV.



Gymnasii Academicii Anhaltini  
**NVTRITORIBVS CLEMENTISSIMIS,**

Theologiam & Linguas sacras docere, scholas philosophicas & exegeticas in utriusque codicis libros diuinos aperire mecum constituerem. Vos, Cives Academicci, Iuuenes praestantissimi, Vos enim iam alloquias est, Vos, inquam, praelectorum meas seduli frequentate, & quae audiuistis, in VESTROS usus convertite. VESTRIS commodis inseruire, VESTROS in linguis sacris aequa ac disciplinis profectus praelegendō, examinando, disputando diligenter porro quaerere, ac fidelissime promouere, longe primum ac antiquissimum habebo. DEVM O. M. supplex veneror & adoro, vt coepita mea secundet & Gymnasio nostro bene euenire finat. Seruetae d. XVII Nov.

M D C C LXXXI I I I.



AB:155427




Sb.

a

VD 17




B.I.G.



PSALMI CENTESIMI DECIMI  
VERSIONEM  
QVAMDAM GERMANICAM  
RECENTIOREM  
SVB EXAMEN VOCANS  
AD  
PRAELECTIONES SVAS SEDVLO AVDIENDAS  
CIVES ACADEMICOS

HUMANISSIME INVITAT  
ABR. PHIL. GODOFR. SCHICKEDANZ  
THEOL. DOCTOR, EIVSDEM.QVE ET LINGVARVM SACRARVM  
NEC NON HISTORIARVM PROF. P. O. GYMNASII ACADE-  
MICI ANHALTINI RECTOR PERFETVVS.



SERVESTAE,  
LITTERIS I. A. C. BÖHMII, ILL. GYMN. ACAD. ANH. CHALCOGRAPHI.

